

attamen omnibus angulis rectis constant, & cubis sunt similes: sunt qui quinque quadratum in minus radice ducitur laterculos cum in maius afferes produci affirment: cum vero longitudo latitudo & profunditas inæqualia omnia sunt: boniscos procreari crediderunt: veluti ductis 5. 3. & 2. inuicem productur 30. qui bomiscus erit.

²² Sunt & numeri superficiales non æquilibrium laterum, diuersorum generum: veluti parte altera longiores: cum duo numeri solâ vnitate differentes multiplicantur veluti 7. in 8. fit 56. qui altera parte longior dicitur & eodem modo 3. in 4. fit 12. Cum vero plus vnitate discrepant ante longior dicitur ut 35. ex 7. & 5. procreatur quorum differentia vnitate maior est.

²³ Sunt & superficiales similes quorum latera sunt proportionalia: veluti 24. & 6. nam latera 24. sunt 4. & 6. ducta enim in inuicem productur 24. latera autem 6. sunt 2. & 3. est autem proportio 6. ad 3. veluti 4. ad 2. erunt igitur similes numeri 24. & 6. constat autem ex hoc quod omnes numeri quadrati inuicem similes sunt & cuncti compositi suis quadruplicis ut 15. ad 60. & 21. ad 84.

²⁴ Sunt & numeri circulares qui cum in se ducentur reddunt in simile: tales sunt omnes producti à numeris quorum terminatio est in 0. vel 1. vel 5. vel 6. ut 5. in 5. producit 25. & 10. in 10. producit 100. & 16. in 16. producit 256. & 11. in 11. producit 121. dicetur igitur 121. circularis: & 11. centralis: & si ductus fuerit 11. in 121. qui inde producetur erit sphæricus: ut 1331. & ita 125. erit sphæricus: & 25. circularis: & 36. circularis: & 216. sphæricus, & 100. circularis, & 1000. sphæricus & ita de aliis.

²⁵ Porro quadratis proprium videtur ut ab impari procedant, nam in quolibet genere proportionum ab vnitate inchoato tertij sunt quadrati, & quinti & septimi atque ita deinceps, cubi autem pares sunt oppositâ ratione nam in tripla 27. quartus est ab vnitate: & 64. in quadrupla, & ita de reliquis, sicut in tripla 9. quia quadratus est tertius est ab vnitate. & in dupla similiter 4. est, tertius, concluditur igitur quadratos imparium. cubos parum rationem habere, quoniam talibus ab vnitate locis semper confideant.

²⁶ Vnitas vero cum numerus non sit & quadratum, & trigonus, & radix, & pentagonus, & pyramis, & cubus, & círculus, & sphæra esse videtur, atque in omni genere quod imperfectionem non admittit iure locari debet, nam laterculus aut altera parte longior esse non potest quamobrem diuini mysterij maximam similitudinem in ea latere necesse est, imperfectum enim nihil admitit, in omnes potest numeros, prima perfectorum est numerorum, non solum omnis perfectionis abundè capax sed in orani perfectionis genere perfectissima.

²⁷ Sunt & proprietates numerorum quædam non contemnendæ, veluti cum duo numeri inuicem ducentur productum est medio modo proportionale inter quadrata illorum, ve-

luti 7. & 10. ducta inuicem producunt 70. estque 70. medium in proportione inter 100. quadratum 10. & 49. quadratum 7.

Et cum duo numeri aliquem multiplica- ²⁸ uerint, aut diuiserint, erit quod fit ex duobus in eadem proportione, ducatur 10. in 3. & producitur 30. & 3. in 7. producitur 21. quorum proportio est ut 10. ad 7. & diuidatur 3. per 10. exit $\frac{3}{10}$ & 3. per 7. exit $\frac{3}{7}$, erit proportio $\frac{3}{7}$ ad $\frac{3}{10}$ ut 10. ad 7.

Et si diuidant se numeri inuicem erit pro- ²⁹ portio veluti primorum duplicata, veluti diuidat 10. ipsum 7. exit $\frac{7}{10}$, & 7. diuidat 10. exit $\frac{10}{7}$, proportio $\frac{10}{7}$ ad $\frac{7}{10}$, est veluti 10. ad 7. duplicata & hæc eadem erit ut quadrati 10. quod est 100. ad 49. quadratum 7.

Cumque iuxteris duos numeros, erit pro- ³⁰ portio totius ad utramque partem, uno plus reliqua partis ad partem, veluti 10. & 7. faciunt 17. proportio 10. ad 7. est supertripartiens septimas, igitur 17 ad 7. du- pla supertripartiens septimas.

Et cum diuiseris totum per duas partes ³¹ componentes ipsum, erunt prodeuntia in eadem proportione ut patet ex prædictis, & tantu faciunt multiplicata quantu aggregata, veluti diuidatur 17. per 10. & per 7. ex eunt $\frac{1}{10}$ & $\frac{2}{7}$ quæ sunt in proportione 10. ad 7. iunctaque simul faciunt $\frac{2}{70}$ & ducta etiam inuicem producunt $\frac{4}{70}$, & est quid mirum.

Sunt numeri cretici & sunt 7. & 20. & 32 omnes compositi ex his ut 14. 27. 34. 40. 47. 54. 60. 67. 74. 80. & sic usque ad annum, & in his accidentiæ & fortæ crises, & dimidij horum dicuntur indicatiui ut 4. 11. 17. 24. 31. & reliqui.

Qui vero sunt extra hos duos ordines vel propter inordinationem naturæ, vel propter fortitudinem accessionis, vel propter vehementiam morbi, vel propter errorem in agro vel astantibus, vel medicis, adueniunt, & hoc est testimonium aliud virtutis numerorum.

Numeri etiam superficiales similes inuicem ducti producunt semper quadratum ut ³³ 6. & 24. producunt ducti 144.

Omnis etiam numerus primus ad eum, ³⁴ quem numerat est compositus, ut 7. ad 49. & hoc nota.

Omnis etiam numerus quadratus ex tot ³⁵ imparibus componitur quotus est radix, ut 64. ex 8. imparibus, 100. ex 10. imparibus.

Numeri congruentes inueniuntur hoc ³⁶ modo capias duos numeros sola vnitate differentes ut 2. & 3. in quibuslibet enim ratio tenet iunge faciunt 5. duc vnum in alterum fiunt 6. duc 6. in 5. fit 30. quadrupla semper fit 120. congruit autem 120. ad 169. nam additus facit 289. quadratum 17. & sublatu sibi 169. facit 49. quadratum 7. & 169. est quadratum 13.

Inuenitur autem congruens ex eisdem hoc ³⁷ modo quadra 2. fit 4. & 3. fiunt 9. iunge fiunt 13. quadra 13. inuenisti 169. qui est congruens

2	3
5	6
30	120
4	5
9	20
180	720